



1710

1. Beckius, Joh. Innoentius : De fatali interponenda appell.
Lebionis
2. Brustmann, Johann Leopoldus : De homicidio
vixorū sex in rixā commisso
3. Fichtnerus, Joh. Georgius : De causis dubii lites
eventus.
4. Heering, Albertus : De Fidei
5. Herpfer, Christianus Triton. De periculo non.
Ditoris
- 6^{a, b, c, d}. = Hotelbrandus, Martinus : De divortio
capitulum finalem coramque jure 4 Semph
1711, 1721 - 1741.
- 7^{a, b}. = Nornburgensis, Georg Wolf : De pecunia praesenti
causa reposita. 2 Semph. 1710 - 1722
8. Schwarzerus, Christianus Gull : De limitibus prelatibus
liberorum erga parentes

9. Scatker, Johannes Mathaeus : De testamentis
alphabetici
10. Soergel, Johannes Conradus : Theses juridicae sine
juratae
11. Spizius, Christoborus : De loco contractus
12. Spizius, Felix : Theses ex universo jure
1711
1. Beckius, Joh. Tobiasus : De probatione per testes
de evocatione deponentes
2. Fichtnerus, Joh. Georgius : De possessione commoda
- 3^a 2^b Fichtnerus, Joh. Georgius : De ademptione von
Zueken : De Hand / Dolben / Bege auf einem
Zueken 2 Bunde 1711 : 1722
4. Gunder, Walff. Nicol. : De sacerdotio judiciali
sive de officio Testi veri

5. ²¹Balthus, Joh. David: De causis excellentissimum
 jurisdictionis imperialis Austriacae feudatibus. sine
 concurrentia cum iudicio camerale
6. Hering, Philippus Ludovicus: De rationibus
 circa rem alienam valide
7. Koelerus, Joh. David: Pragmaticorum politicorum
 vanitatem . . . et cetera.
8. Mollerus, Joh. Guil: De metessi barbarica.
9. Rink, Ludovicus Gualter et Jun, Franciscus, vir:
 De currociis
10. Scheurerus, Iohannes Christophorus: De testamentis
 irritabilibus
11. Schreiber, Iohannes Sigismundus: De iudicio Caes.
 res forestalis Norvegiae
12. Hebborn, Iohannes Gubertus: De senatus vobis
 Mi. Ploren.

13. Spitz, Erhard: De stigmatibus vulgo
Bezeichnung d. Heiligmärkten.

Q. D. B. V. p. 4. num. 30.
DISPUTATIO JURIDICA
IN AVGVRALIS
DE 1710 70

PECVNIA
PRAESIDIII CAUSA REPOSITA,

vulgo
Noth-*S*fenning/



Quam
PRAESIDE

DEO TER OPT. MAX.

DECRETO ET AVTORITATE
MAGNIFICI

ICTORVM ORDINIS,
IN
ILLVSTRI VNIVERSITATE ALTDORFFINA,

PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE JVRE
HONORES AC PRIVILEGIA

RITE ET LEGITIME CAPESSENDI,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT

Ad diem Decembr. An. MDCCX.
GEORG. WOLFFG. NVRMBERGERVS,
Norib.

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERL

DISPUTATIO JURIDICA
INAGRAALIS

DE
PECVNIA

PRÆSIDI CAESARPOSITA

1711
UNIVERSITÄT
MAGNIFICENTIA

DEO TER OPT. MAX.

DECRETIS ET STATUTIS
MAGNIFICENTIA

LECTORVM ORDINIS

ILLUSTRI UNIVERSITATE ALTDORFENSIS

PRO LICENTIA

SUMMOS IN VTRIOQUE

HONORE ET PRIVILEGIO

REI ET LEGIBUS CAESARIS

REPUBLICÆ ELECTORALIS BAVARICÆ
AD HONOR. DECRETIS ET STATUTIS

1711





I. N. D. N. J. C.

PROOEMIUM.



Ritissimum juxta & verissimum vetus illud est Germanorum di-verbium, quoslibet in hac vita rebus suis bene consulturos, triplici opus habere Nummorum genere: Nummo scil. Alimentario, Honorario atque Praesidiario, si ve, uti verbis vulgo effertur Germanicis: Es soll ein jeder Mensch haben einen Nehr: oder Zehr: einen Ehr: und einen Wehr: oder Noth: Pfenning. Alimentarium quidem ad quotidianam vitae conservationem; Honorarium ad status ac professionis defensionem, in donis praecipue Natalitiis, Nuptialibus, Lustricis & aliis consistentem; Praesidiarium ad emergentis cuiusvis necessitatis casus depulsionem. Sane uti sine victu & amictu haud commode potest vita transigi humana, ita sine honoris & fame observantia feliciter eadem defendi nequit, juxta receptam apud Germanos formulam: Zu Ehren soll man nichts spahren/ quam maxime autem de Nummo praesidiario sollicitos eos esse convenit, qui longius vita sua emetiende iter habent, quorsum referas licet hoc Germanorum: Junges Blut/ spahr dein Gut/ Armuth im Alter wehthut. Cum autem de singulis haec Nummis prolixa institui possent Commentationes, duobus prioribus hac vice relictis, in tertio potissimum subsistere mihi collibitum est, atque Inauguralis Disputationis argumentum assumere DE PECUNIA PRAESIDII CAUSA REPOSITA: Viam ad hoc ipsum aperiente & manu quasi ducente l. 79. §. 1. ff. de leg. 3. ubi Proculus ait: Quae ibi Mobilia mea erunt, do, lego, nummos

ibi repositos, ut mutui darentur, non esse legatos, at eos, quos praesidii causa repositos habet (ut quidam bellis civilibus factitassent) eos legato contineri, & audisse rusticos senes ita dicentes: pecuniam sine peculio fragilem esse, peculium appellantes, quod praesidii causa seponeretur. *Faxit Supremum Numen, ut divina ejusdem gratia adjutus, qualiscunque hic meus conatus in Nominis ejus Sanctissimi gloriam, Proximi ac Patriae salutem, Parentis gaudium, meumque cedat emolumentum exoptatum.*


SECTIO I.
*Onomatologiam & Pragmatologiam
 continens.*

§. I.

CUm in *Onomatologia* praecipue *ad tria* sit respiciendum, nempe ad Nominis alicujus Derivationem, Equivocationem, & Synonymiam. Igitur ad quadruplicia nomina in fronte Disputationis adducta, mei jam muneris esset, nomina pecuniae, & praesidii, & causae, & repositionis quoad *Etymologiam* suam ad examen revocare, sed quia *Etymologica* pecuniae expositio in Disputatione mea *de Pecunia* hic loci ante annos fere quinque *sub Praesidio Excellentissimi Dn. Professoris MOL-
 LERI, totius Universitatis hujus Senioris gravissimi, Patroni,
 Fautoris, Affinis ac Hospitis ad cineres usque colendi*, habita, jam fuerit instituta, eandem nunc denuo adducere superfedeo, & simul quoque reliqua tria vocabula *Etymologicè* consideranda ad *Lexicographos, Etymologicos, Grammaticos* que benevolum Lectorem remitto.

§. 2.

Ad *Homonymiam* autem pecuniae, quod attinet, sciendum est, eam in foro potissimum *Juridico* sumi tripliciter



citer : Vel generaliter , vel specialiter , vel specialissime .
Generaliter denotat omnem rem , quæ in Patrimonio alijus esse potest , non tantum corporalem , mobilem & immobilem , sed etiam incorporalem , & sic jurajobligationum , servitutum , hereditatum , & similibus : *vid. c. totum. 6. c. 1. qu. 3. l. 4. ibiq; Gothofr. cum l. seq. 5. l. 88. l. 97. l. 178. l. 222. de V. S. ibiq; Goëdd. l. 1. §. fin. de Calumn. l. 1. §. 1. & 6. ff. & l. 2. C. de Const. Pec. Carpz. 2. p. 3. c. 13. d. 34. n. 3. l. 14. §. fin. & l. 15. §. 16. ff. ad Sct. Trebell. , & Jctiff. Dn. F. C. Harpprecht. Patronum , Fautorem ac Præceptorem per ætatem deveniendum in suis Respons. Civil. & Criminal. Resp. 85. n. 539. Specialiter* accipitur pro re fungibili , quæ pondere , numero & mensura constat , qua de significatione *vid. l. 2. §. 3. ff. de R. C. ita potissimum venit in contractu Mutui , quia is in aliis rebus , quam quæ pondere , numero & mensura constant , non consistit , per pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. , ideo necesse erit , ut dicamus , pecuniæ nomen in eadem materia simpliciter positum ad res tales fungibiles referri , uti evidentissime demonstrat alleg. l. 2. §. 3. ff. de R. C. Eodem quoque modo in materia ultimarum voluntatum quandoque accipitur , ceu patet *ex l. 30. ff. de leg. 1. in pr. Specialissime* denotat solummodo Nummum sive æs , aurum argentumque signatum , quæ notatio frequentissima , & obtinet in Scti Macedoniani materia , *vid. l. 7. §. 3. junct. l. 1. pr. & l. 3. §. 3. ad Sct. Maced. Zanger. de Except. p. 3. c. 12. n. 12. 13. Duaren. in Comment. ad ff. tit. de Sct. Maced. Porro in Emtione & Venditione , ubi aliud merx , aliud pretium esse debet , vid. l. 1. §. 1. ff. de C. E. & V. Tandem quoque in hac nostra l. 79. §. 1. eundem significatum obtinet.**

§. 3.

Deinde circa Homonymicam *Prasidii* contemplationem animadvertendum , hoc vocabulum duplicem sustinere

nere significationem, nempe propriam & impropiam. *Illo modo* significare auxilium, unde milites, qui in tutela alicujus oppidi collocati sunt, dicuntur præfidiarii. Vid. Cæs. l. 4. Gall. c. 4. Præsidia disponere, Cicero 1. *Philipp.* c. 10. Collocare armatos in præfidiis, & passim: *Hoc modo* per Metaphoram seu translationem vocari omne auxilium & salutis propugnaculum, uti Cicero in *Verrem* 7. c. 65. præsidio esse, idem pro *Rosc. Amer.* c. 38. Fides omnium est commune præsidium, vid. Corraf. *Miscell.* c. 13. n. 5. Sicque vocabulum Præsidii in hac Disputatione accipitur. Quoad reliquarum vocum Homonymicam explicationem Benevolum Lectorem brevitatis causa ad ejusdem indagatores curiosiores pariter remitto, vel duobus adhuc verbis monens, quod in genere Nummus præsidii causa repositus sumatur pro tali, quem omnis res suas prudenter administrans homo uti specialem & præcipuum seponit, ut eo ad extremum utatur, & significet rem charam & peculiarem.

§. 4.

Homonymiam excipit *Synonymia*, quæ pro varietate linguarum varia est. Nam in *Latina*, & quidem in specie pecunia præsidii causa reposita vocatur peculium in nostra l. 79. §. 1. de leg. 3. ibi peculium appellantes, quod præsidii causa seponeretur, vid. Lauterb. *Tr. Syn. Tit. de pecul.* §. 1. n. 1. Deinde Thesaurus in futuras necessitates repositus à Brunnem. ad d. l. 79. §. 1. Pecunia pro conservatione Familiæ a Berlich. p. 3. concl. 30. n. 4. pro conservatione Patrisfamilias reposita, vid. Gail. l. 1. *Obs.* 11. n. 8. In *Græca* *ῥοζοειζεν*, i. e. in crastinum & futuras necessitates, notante Gothofr. ad d. l. 79. §. 1. In *Vernacula nostra* lingua redditur: ein *Behr* und *Noth* Pfening / item, *Schaz* Geld / *Spar* Hafen / *Spar* Krug / was man zu *Stollen* legt / *Dietherr.* in *supplem. specul. Speid. lit. n. voce* *Noth* Pfening / C. J. A. *Tit. de pecul.*

§. 2. n. 3. *In Gallica Argent de Reserve pour la Necessité, une pome pour la soif; quod ultimum per similitudinem quandam expressum est: Sicuti enim pomum stimulantem sitim repellit, ideoque multi homines eo, quo maturefcant fruges, tempore, ad restringendam sitim, ipsis uti solent; ita quoque unusquisque providus Paterfamilias semper certam pecuniæ summam reponit, quo eam necessitate cogente, adhibere queat. Sed hæc de Onomatologia dixisse sufficiant.*

§. 5.

Quamobrem ad *Pragmatologiam Pecuniæ præsidii* causa repositæ accedimus, cumque omnis definitio periculosa, dum parum est; quod non subverti queat, & non tam difficile, rem aliquam in Jure Civili exacte definire, quam est rarum, regulam ex LL. colligere, quæ nulla in parte infirmari possit, ideo eam saltem describo h. m.; *Quod sit sollicita & circumspæcta quedam pecuniæ alicujus asservatio in loco aliquo tuto, a quo vis rebus suis bene consulente Homine facta ad emergentes quoscumq; necessitatis casus maxime conducibilis ac proficua.*

§. 6.

Generis loco posita est, sollicita ac circumspæcta asservatio: & *differentia* per verba circumspæcta & sollicita innuitur, quippe talis asservatio a qualibet alia custodia pecuniæ in quotidianos vel alios quosvis usus distinguitur.

SECTIO II.

De Origine.

§. 1.

Quando mos pecuniam præsidii causa reponendi *primum* invaluerit, nescio an aliquis firmiter adeo probaverit. Haud tamen dubium esse reor, quin eo statim tempore, quo

quo pecuniæ usus introductus est, & societates conjugales constitutæ sunt, eum initium cœpisse. Præterquam enim, quod in qualibet familia multiplices necessitatis casus soleant contingere, profecto bellicis etiam ingruentibus temporibus, consuetudinem eam viguisse haud penitus negaverim. Antiquissimis igitur temporibus homines huic curæ operam dedisse, verisimile esse censeo.

§. 2.

Ab Hæbreis ad Ægyptios hunc reponendæ pecuniæ modum derivatum fuisse, si non ex Historicis eorum Monumentis, quæ rarissima sane & paucissima supersunt, licet colligere, saltem conjectura assequi, non adeo erit difficile. Ut enim taceam bella, quibus Ægyptus semper involuta fuit, acerrima, certe quaslibet familias sibi prudenter prospexisse de pecunia in futuros usus reponenda, eos instigasse videtur.

§. 3.

Hæc consuetudo ad alias deinde gentes derivata ad Romanos etiam profluxit, siquidem Rustici Romani olim quotannis aut certam fructuum portionem, quam militibus transeuntibus præstare debebant, ceu *ex Nov. 130. Rubr. quomodo oporteat milites transitum in Civitatibus facere, & de introitu*, patet, reponebant, quorsum etiam ligna referenda & conferenda erant, vid. *Goth. ad l. 27. §. 3. ff. de usufr. Aut hoc debitum suum, in collatione fructuum consistens, certa Nummorum quantitate redimebant: hinc ad talem redemptionem faciendam Nummos studiose reponebant, ut forte militibus transituris, loco fructuum, eos largirentur.*

§. 4.

Atque hi Nummi peculii nomine insigniebantur, quippe teste Procuro *in l. 29. adducto*, cum ea ratione, qua servilis peculii interpretatio familiaris fuit, sensum obtinuit:

nuit: Sicuti enim servi ideo potissimum peculium colligebant, ut tandem beneficio illius ex servitute se redimerent; ita rustici quoque numos aliquot seponere consueverunt, ut militibus alias debitam fructuum portionem pecunia redimerent, sine hac quippe sepositione pecuniæ, omne eorum peculium tam fragile erat, ut id plerumque, exercitu transeunte, totum prodigeretur.

SECTIO III.

Causam efficientem exhibens.

§. I.

Causa efficiens est unusquisque providus & rebus suis bene consulens homo, cum enim experientia doceamur, multiplices esse temporum vicissitudines, atque hinc varios necessitatis casus oriri, hinc mature talis homo sollicitus est, ut, pro temporis cujusvis conditione, opem sibi ipsi ferre, atque ex aerumnis, quibus premitur, se extricare possit. Speciatim autem quilibet Paterfamilias pro familiæ suæ vel amplitudine, vel vivendi genere, temporis rationem habet, ut, si forte afflictior aliquis in domo sua se offerret status, ex reposita prudenter pecunia medelam indigentia suæ afferre queat.

§. 2.

Filiis familias quin etiam liceat pecuniam præsidii causa reponere, dubitare nolim. Quamvis enim, florente Republica Romana, filius Patri cuncta plenissimo jure acquirebat, & nullum peculium habebat, vid. l. 11. pr. ff. de lib. & posth. & l. ult. C. de P. P. Certe Dionys. Halicarnass. l. 2. & 3. illius temporis morem declaraturus, verbis exposuit seqq. Romani proprie nihil possident, quamdiu Patres eorum in vita manent; sed & pecunia & corpora filiorum parentum potestati & arbitrio permessa sunt, omniaque

B

omniaque Parentibus acquirunt : Verum postea crescente una cum Imperio populi humanitate, edocenteque paulatim natura, & communi Parentum voto, liberos ingenuos ingenue & liberaliter esse tractandos, ac meritis magis ad obsequia paterna esse provocandos, *l. 35. §. 1. C. ff. de inoff. testam. add. l. 5. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* Jus illud Parentum, ceu nimis severum, temperari cepit, & Imperatores, ut praemio aliquo Adolescentes ad militiae labores invitarent, eorumque sibi conciliarent studia, castrense & quasi castrense ipsis pleno jure concesserunt peculium, ut pro arbitrio suo potuerint illud in varios fines adhibere.

§. 3.

Cum vero multiplicia sint peculia, ad quale peculium pecunia praesidii causa reposita sit referenda, quaeri posse video, & respondendum arbitror, respiciendum esse ad acquisitionem cujusvis filii familias. Si enim (1.) in militia sagata acquisita reposuerit, ea ad castrense peculium pertinebunt, ejus quoque plenissimum consequetur dominium, omniaque ea jura, quae a Lauterbachio recensentur in *Tr. Synops. Tit. de Pecul. §. 1. n. 6. & 7.* (2.) Si in militia togata sibi comparata reposuerit, ea referenda erunt inter peculium quasi castrense, in quo filius familias aequali jure gaudet, ac in castrensi. Si (3.) aliunde, extra causam militiae, extrinsecus & non ex re Patris sibi oblata reposuerit, ea ad peculium adventitium regulare, in quo Pater familias usufructum & liberam ac plenissimam administrationem, Filius familias vero nudam proprietatem regulariter habet. Si (4.) certa bona, quae pleno dominio a rationibus patrum separata sunt, reposuerit, ea inter peculium adventitium irregulare collocanda erunt, quippe in quo Pater nihil juris habet, ne quidem usufructus commoditatem, potest tamen, si filius familias adhuc imperfectae est

est aetatis, ea administrare; e contrario filiusfam. jus suum plene retinet, nisi quod de iis non possit testari. Si tandem (§.) talia bona, quae ex re Patris vel ejus occasione ad filium pervenerunt, praesidii causa asservaverit, ea ad peculium profectitium pertinebunt, quod totum e voluntate patris dependebit, filiusque familias nihil juris habebit. Ex quibus apparet, pecuniam praesidii causa repositam ad nullum certum peculium referri posse, sed semper attendendum, unde ea profecta fuerit.

§. 4.

Servi quoque nihil proprii de jure veteri habentes, omnia dominis suis acquirebant, per §. 1. l. de his qui sunt sui vel al. jur. & §. 3. l. per quas person. cuiq. acquir. & l. 79. ff. de A. vel O. H. & licet nonnunquam sua peculia, & per consequens aliquam in iisdem administrationem obtinerint, tamen sine omni jure eam exercebant, vid. l. 4. pr. & l. 8. in fin. ff. de pecul. neque quid servus constituendi servilis peculii gratia, sed quid Dominus egerit, attendendum erat, quamobrem nil, nisi scientibus & consentientibus Dominis, reponere poterant. Hodie autem, cum inter Christianos dura illa Servitus in pleniorum libertatem mutata sit, partim quod Reipublicae interest, eam ingenuis magis quam servis stricte ita dictis constare, partim quod Christianis indignum videretur, religionis suae confortem pro mancipio haberi, idcirco famuli & servi nostri omnia valide sibi acquirere, & acquisita ad quoslibet futuros usus destinare possunt. Unde dubitandum haud erit, iis quoque licitum esse pecuniam ex servili suo ministerio acquisitam ad calamitates & miseras, praeter omnem opinionem nonnunquam exortas, depellendas, pecuniae aliquis repositione mature sibi posse prospicere.

Neque *Uxoribus* eandem denegandam esse reponendae pecuniae facultatem, verosimillimum est, distinctione tamen bonorum probe & sancte observata, quippe quae, cum vel *Dotalia*, vel *Paraphernalia*, vel *Receptitia* sint, ad *Receptitia* tantum bona facultas illa est extendenda, idque ex Germanica illa vocis *Spar. Hasen* consideratione satis superque patescit, quæ certe bona non aliam ob causam reposita ab iis esse videntur, quam ut sibi & marito calamitate aliqua presso, opem ferre queant & auxilium.

Circa *Personas Ecclesiasticas* major se offert dubitatio, quae tamen, distinctione, inter personas & res, adhibita, facile potest tolli: Nimirum ad personas quod attinet, considerandae erunt vel tanquam *Monachi*, vel tanquam *Clerici*: Sane *Monachos* ea facultate destitui ex c. 2. *X. de stat. Monach. & Canon. regular.* probatur. Hinc neque nummos reponere posse sponte sua fluvi, dum per solenne votum paupertatis omnibus se bonis spoliarunt, nisi *Abbas* forte ipsis permittat, pro *injuncta* rerum aliquarum administratione, *peculium* aliquod ad liberam eius dispositionem habere. *Clericis* autem omnino licere pecuniam aliquam praesidiariam reponere, siue majoris siue minoris fuerint *Ordinis*, qui c. 1. *dist. 21. c. 1. dist. 25. & c. 5. dist. 93.* sunt recensiti, quotidiana potissimum docet experientia, & exemplum maxime memorabile suppetit in *Anselmo Francisci Electore & Archi-Episcopo Moguntino*, qui arcam aureis nummis artissime constipatam futuros in fortunae lusus & usus quam diligentissime asservavit, eamque *Leopoldo I. gloriosissimae memoriae Imperatori*, post suam ex hac vita A. 1695. emigrationem, ceu legatum aliquod testamentarium, relinquere voluit. Quemadmodum etiam de *Sixto V.*
Pon-

Pontifice, Historiae Romanae tradiderunt, cum primum in arcem Hadriani Romae septem miliones Auri deposuisse, a nemine inde eximendos, nisi ob causas in Bulla adjecta contentas, & in extremo necessitatis casu: Idcirco modernus Pontifex, avertendis bellicis tumultibus, aliquam ex ea particulam depromere compulsus, ut relationes hebdomatariae exposuerunt, eandem tamen, alia pecunia rursus illata, compensavit. Ut jam nihil dicam, de Johanne XXIII. alias XXII. Pontifice Romano, qui in Thesauris 25 miliones Auri dicitur reliquisse.

§. 7.

Cum vero Clerici varia possideant bona, ideo circa ea quoque notandum, quod Patrimonialia & quasi Patrimonialia pro lubitu administrare, expendere vel reponeere queant, quomodocunque ipsis libuerit; At ea quae ex bonis Ecclesiae, vel intuitu ipsius, acquisiverunt, inter vivos donare pauperibus, convertere in pios usus, quantum voluerint, & ad dies vitae praesidii causa aservare, non ita tamen disponere possint, ut ad haeredes suos perveniant, sed ejusmodi bona ipso jure redeunt ad Ecclesiam per c. 1. 2. 7. 9. & 12. X. de testam.

§. 8.

Non autem ad praesidii causa repositum, quam potius ad jaectantiam referendum esse illum thesaurum cenfeo, de quo Abrahamus Buchholcerus in Indice Chronologico hanc historiam enarravit: Henricus V. Imperator Silesiam, quae Poloniae parebat, cum exercitu ingressus, Libusum oppidum limitaneum cepit, illudque donavit Archiepiscopo Magdeburgensi: Glogaviam frustra oppugnavit, & Boleslao Poloniae Regi pacem dedit: Ubi cum forte Caesar Legatis ingentem auri & argenti thesaurum monstrasset, subindicans paratos esse belli gerendi nervos:

Hic, inquit, Polonos perdomabit: unus ex Legatis Polonicis vanam Caesaris jactantiam notans; anulum aureum digito detractum ad reliquum auri cumulum adjecit: addens haec verba: addatur aurum auro. Quo scommate nihil offensus Cæsar respondit germanica lingua: *Hob Dank / quod est, ago gratias.* Inde mansit univærsæ familiae nobile nomen, ut Habdankii appellentur. De Rudolpho II. Imperatore nolo hic facere mentionem prolixiorẽ, quippe qui in Larario suo Gemmarum, Adamantum, Unionum; Auri, Argenti, &c. immanem vim, ut pretio XVII. Milliones auri excederet, habuisse perhibetur. *Plura vid. in Excell. Dn. DAN. GVIL. MOLLERI Diss. de Technophysiotameis von Kunst, und Naturalien: Rammern cap. VII.*

§. 9. De Philosophis nullam prorsus mentionem injicerem, nisi veteres quosdam Philosophos nullam prorsus pecuniam reposuisse historiae testarentur, quin Papinianus etiam Jctus l. 8. §. 8. ff. de Vacat. mun. manifeste fassus est: Vere Philosophantes pecuniam contemnere, atque pecuniae retinendae cupidine fictam asservationem detegere. Porro Seneca, sapientissimus ille morum magister *Epist. 17.* aperte scripsit: Licere ad Philosophiam sine Viatico pervenire, & *Epist. 18.* Lucillum adhortatus est seqq. Incipe cum paupertate habere commercium. Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo. Nemo enim alias Deo dignus, quam qui opes contemnit. Cur autem veteres illi Philosophi odium tam vehementem argento indixerint, inde videtur posse colligi, quod ipsi mercenariam operam spernere professi sunt, vid. l. 1. §. 4. ff. de extraord. cognit. seque rapacitate & avaritia vinci pro maximo habuere dedecore, vid. l. 6. C. de Mun. Patrim. ibique Gothofr. lit. u. imo & ipsam Philosophiam tanquam rem sanctissimam prædicarunt, vid. c. l. 1. §. 4. ff. de extraord. cognit.

cognit. Quibus ex adductis, ut luce meridiana clarius apparet, eos nullam corrogandae pecuniae curam impendisse, multominus de ejusdem in futuros necessitatis casus repositione sollicitos fuisse: ita *hodierna* si temporum facies attendatur, sane rem longe aliter se habere, dicendum erit. Praeterquam enim, quod hodierni Philosophi in societate civili viventes, de vita sua honeste & modeste transigenda, quam maxime sibi prospiciunt, profecto alius longe veterum illorum Philosophorum circa pecuniae contentum finis fuit, quam hodie in Republica muneribus gaudentes publicis vivere solent. Quin igitur cuilibet Philosopho hodie competat liceatque pecuniam seu rerum gerendarum, & medium a calamitatibus se liberandi studiose reponere, oppido necessarium esse videtur; Namque

*Mundus hic est pelagus, regina pecunia nauta est.
Navigat infelix; qui caret hujus ope.*

§. 10.

Tutores & Curatores Pupillis ac Minoribus pecuniam aliquam praesidii causa reponere posse, extra controversiam positum esse arbitror: Praesertim si Numismata fuerint rariora, antiquiora & ratione pretii praestantiora, ita quidem, ut, si ea reponere neglexerint, & inconsulto magistratu in aliam pecuniam conversa in privatos usus converterent ad usuras seu interesse inde redundans, eos posse conveniri, certissimi juris est, per *l. 1. C. de usur. pupill. l. 7. §. 10. ff. de Adm. Tut. & l. 38. ff. de N. G.* Debita tamen semper adhibita limitatione & cautela, si nempe demonstrari possit, pupillis nihil aliunde subsidii superesse, ex quo necessaria & sufficiens de victu & amictu eorum possit depromi sustentatio, vel ipsos aere alieno premi.

§. 11. Num

Num autem pecuniam talem in aliam commutatam foenori exponere, atque sine ullo praevio Magistratus decreto ad res familiae pupillorum augendas licitum fuerit adhibere, nova emergit quaestio. Et primo notandum, quod secundum ff. placita, Tutores & Curatores, sicubi praedia idonea invenire non poterant, ad pecuniam Minorum foenori exponendam de necessitate obstricti fuerant, *l. 7. §. 3. l. 8. l. 12. §. fin. l. 13. §. 1. l. 5. ff. de Adm. Tut. & Curat. l. 3. C. de usur. pupill. jung. Mev. ad Jus Lubecense l. 1. Tit. 7. art. 13. n. 27.* Ut scilicet eorundem Patrimonium ejusmodi usurarum accessione constaret ac augeretur per *l. 24. C. de Adm. Tut. & Curat.*; Postquam vero illa foenerandi necessitas difficilem reddidit Tutorum & Curatorum causam per *Nov. 72. c. 6.* inde factum est, ut plurimi, justis praesertim se excusandi causis existentibus, munus Tutorio Curatorium plane detrectaverint, siquidem saepius accidebat, ut ex nimia pecuniae foenori exponendae cupidine usuris non tantum Minores & Pupilli frustrarentur, sed antiqua etiam illa sua in Gazophylacio reposita pecunia exciderent. Hincque multo melius fuit, pecuniam in antiquo permanere tutamine, quam usurarum appetitione, seu (ut loquitur *l. 10. §. 10. ff. de his, quae in fraud. cred.*) dulcedine, eam prorsus amittere. vid. *Nov. 72. c. 6.* Quapropter novissime Imperator in *d. Nov. & inde depromta authentica C. de Adm. Tut. & Curat.* hac de re ita sanxit, ut, siquidem Minoribus sufficientes ad eorundem sustentationem & institutionem redditus suppetierint, Tutoribus & Curatoribus pecuniam pupillorum repositam nulla foenerandi necessitas incumbat, sed ut, caute tali pecunia conservata, partibus omnino officii sui satisfecisse, putandum sit, *Mev. ad Jus Lub. l. 1. Tit. 7. art. 13. n. 28.* Caeterum Jus

Jus Novellarum generali fere consuetudine mutatum, Tutores & Curatores obligare videtur ad pecuniam pupillorum foenori exponendam, ita quidem, ut si otiosam Tutor Curatorve pupillorum pecuniam reliquerit, ipsis teneantur loco interesse ad usuras in regione consuetas, per l. 4. §. 24. C. de Adm. Tut. & Curat. Mev. d. art. 13. n. 34. Carpz. l. 5. Resp. 70. Imprimis autem uniuscujusque loci consuetudo est consideranda, itemque temporum quae incidunt circumstantiae, & Tutoris aequitas ac religio exigit, ut pecunia pupillorum idonee collocetur, d. l. 12. §. 4. ff. & l. 24. C. de Adm. Tut. & Cur. l. 3. C. de usur. pupill. From. disp. de Tut. Curat. & Procur. q. 6. Sed haec de Nummis Pupillorum in genere, in quibus etiam foenerandis haud decretum Magistratus requiritur, per ea, quae tradit Andr. Tiraquell. de Retract. lignag. §. 1. gloss. 7. n. 105. Lauterb. in Disp. de Alien. rerum, quae Minorum sunt, th. 41. Magnif. D.F.C. Harpprecht. in Tr. de Success. p. 1. p. 801. n. 449.

§. 12.

Aliter vero comparatum cum pecunia pupillorum thesauraria, quam sane moribus hodie receptis non licet Curatoribus foenori exponere, occasione quamvis optima oblata, ejusmodi pecuniam maxima cum utilitate foenerandi, utpote quod res minorum mobiles & immobiles, quae servando servari possunt, (inter quas etiam hanc pecuniam referri infra videbimus) ob solam utilitatem alienari & foenori exponi nequeunt, ne quidem ex permisso & decreto Magistratus, per text. expr. l. 5. §. 14. & l. 13. in pr. ff. de rebus eorum, qui sub Tut. sunt, Mev. p. 7. decis. 199. n. 13. Esbach. ad Carpz. p. 2. c. 11. d. 28. n. 6. Lauterb. d. disp. th. 31. bene tamen ob eorum necessitatem, sed cum decreto Magistratus, si nempe aes alienum imminet. Proinde, si is, aere alieno non allegato, alienationem permiserit, consequenter dicendum, nullam esse venditionem, nullum de-

C

cretum;

cretum; Sic enim emphatica Ulpiani verba in *d.l.f. §. 14. d. iii.* sonant: Non enim passim distrahere Praetori tributum est, sed ita demum, si urgeat aes alienum Vid. *Carpz. p. 2. c. 1. d. 28.* ubi elegans praedictum. Quapropter ad stipulandum est Harpprechti sententiae *cit. Tr. p. l. p. 800. n. 437.* hac verborum serie: So seynd wir förderst der beständigen Meynung/ daß der seelige Herz Testator, als seiner Herrn Bettern Curator, nicht allein durchaus nicht gehalten gewesen / derselben Schatz/ Gelder auf Zinsen auszuthun / & *seq. p. 801. n. 438.* sondern daß er auch dessen nicht einmal Macht gehabt / sondern wann diese Gelder hätten sollen und müssen ausgethan werden / solche anderst nicht / als (1) *causa necessaria*, (2) *hujus praevia cognitione*, und (3) *Decreto Magistratus* geschehen hätte können.

SECTIO IV. De Subjecto & Objecto.

§. I.

Subjectum sive Objectum praesentis disquisitionis est ipsa pecunia praesidii causa reposita, utpote circa quam praecipue acquirendam atque reponendam unica rebus suis bene consulentium cura verfatur, quippe in qua unice comparanda & probe asservanda omne studium, omnisque labor infumitur.

§. 2.

Et quidem *circa qualitatem* ejusmodi pecuniae nihil vulgo referre creditur, sive ex reprobatis, sive ex approbatis numis ea collecta fuerit, meo tamen iudicio cautius quilibet aget, qui approbatam magis, quam reprobam reponet, utpote in omnes fortuitos casus omni tempore valituram.

§. 3.

Quantum autem talis pecuniae reponendum sit categorice dici nequit, cum in cujusvis providi hominis libero

ro arbitrio sit, pro majoribus vel minoribus rerum suarum facultatibus, majori vel minori in quantitate affervare. Sane plus pecuniae non reponendum esse, quam vitae cuiuslibet conditio permittit, necessarium non minus quam salutare esse videtur, & ad cuiusvis loci, in quo domicilium quis fixit, consuetudinem respiciendum esse arbitror, secundum quam fines certi tali pecuniae sunt assignati.

§. 4.

Cum autem pecunia dupliciter considerari possit, vel tanquam quantitas & valor cuiuscunque monetae, vel tanquam substantia quaedam seu species & corpus, quod materia & pondere certo constat, notandum erit; *Priori modo* spectatam pecuniam inter res incorporales referri posse, ceu videre est ex *pr. §. 1. l. 79. de leg. 3. l. 95. d. t. l. 34. §. 1. de leg. 1. l. 24. ff. de pos. l. 68. ad Sc. Trebell. & l. 94. §. 1. ff. de solut. ibique Gothofr. Struv. ex. 16. th. 27.* *Posteriori autem modo*, quin rebus mobilibus eadem accensenda sit, nullum est dubium, vid. *Nov. 22. c. 45. §. 2.* ibi si forte universalia constituta est in pecuniis, aut aliis rebus mobilibus antenuptialis donatio, *l. 13. in fin. ff. de R. C. & l. 94. §. 1. ff. de solut. & plures alios textus, imprimis autem in d. §. 1. in fin. l. 79. ff. de legat. 3.*

§. 5.

Enimvero maxima est controversia inter Dd., num talis pecunia inter mobiles, an inter immobiles sit referenda? Licet enim, allata distinctione observata, ad utraque res possit referri, attamen ea non est intelligenda de praesidiaria pecunia. Et inveniuntur quidem Dd. qui hanc ad res immobiles retulerunt, uti sententiam istam receperunt ex *Jafone l. 1. §. fuit quae situm. n. 38. in lect. 2. ff. ad Sc. Trebell. Gail. l. 2. O. 11. n. 8.* item *Paul. Montarius de Jur. Tutel. c. 33. n. 181.* & *Coll. Jct. Arg. Tit. de R. D. n. 54.* Sed contraria sententia communior & verior esse videtur, ex ipsa

quam saepissime citata l. 79. de qua vid. Berlich. p. 3. concl. 30. n. 4. Lauterb. in Colleg. Pr. Tit. de R. D. th. 15. & in disp. de Alienat. rerum, quae Minorum sunt, th. 25. & in Resolut. l. 15. ff. qui sãtis d. cog. §. 15. & Menoch. Graevaeum, Malcomes. Hahn. ad Wesenb. cit. a F. C. Harpprechto in Tr. Acad. p. 1. pag. 300. n. 441. Refertur etiam inter ejusmodi res mobiles, quae servando servari possunt, quorsum faciunt verb. cit. Exc. Dn. Harpprechti c. l. So ist doch gewiß / daß solcherley alte oder rare und besondere Schau-Pfenninge / Auswurff-Denck- und Gnaden-Pfenninge / und was dergleichen mehr / in alle Weg pro talibus rebus quae servando vel maxime servari possunt, & ab omnibus assolent, zu halten seye / per text. apprimè huc facientem in l. 28. ff. de usufr. ibique Dd. Addantur, quae tradit Cardinalis Lugo de J. & J. D. 26. S. 1. n. 2.

§. 6.

Caeterum num tutius sit loco pecuniae signatae ordinariae aurum & argentum in massa rudi & cruda debito cum pondere reponere, vel Gemmas, Monilia, Torques, Uniones similesque res pretiosas asservare, non adeo in proclivi est determinare, pro circumstantiarum enim varietate nonnunquam unum altero praestare, inficiari nolim, praesertim si vel fuga, vel itinere inopinato aliquis preflus fuerit, ubi major pecuniae quantitas magis onerare aliquem, quam liberare a necessitate potest, cum ex adverso in custodia gemmae alicujus insignioris grande saepe pretium vel mille vel plurium florenorum delitescat.

§. 7.

Optimum ergo erit, cuilibet custodi rerum liberam relinquere voluntatem, siquidem quis nosse potest, quid quantum ad finem istum obtinendum vitae suae status, rerum suarum administratio, locus, fortuna & occasio permiserint, quippe ad quae & similia studiose semper attendendum est,

§. 8. Deni-

§. 8.

Denique frumenta, vina, salia, aromata & id generis alia, quaeque praesidii causa loco pecuniae reponi posse, haudquaquam anceps haereo, praesertim si tempora fuerint pacata, & vitae conditio id permiserit. Conferri etiam meretur Magn. Dn. F. C. Harpprechtus in *Responsis Crim. & Civil. Resp. 42. n. 154. & seqq.* Sane majore cum lucro negotiatores res hujusmodi asservare student, quam si pecunia sine fructu aliquo inde resultante in futuros necessitatis casus custodiatur.

SECTIO V.

De Loco, Tempore, Modog, asservandi pecuniam praesidiariam.

§. 1.

Locus quinam repositioni ejusmodi pecuniae assignandus sit, certo determinari nequit, praeterquam enim, quod pro diversitate loci; in quo reponens aliquis domicilium suum fixit, habenda semper sit ratio, profecto cujusvis etiam prudentia talem locum sibi eligere conabitur, qui votis suis ex asse respondeat.

§. 2.

Generaliter tamen talis semper eligendus erit locus, qui paucioribus & rarioribus expositus est periculis, ubi etiam distinguendum esse reor inter res repositas; an nempe pecunia, vel alia quaevis res reponenda sit. Sane pecunia alio loco, quam frumentum, aromata, similiaque indigent.

§. 3.

Tempus quoque in loci adjectione respiciendum esse, haud vanum esse arbitror. Alius enim locus adhibendus erit,

erit, quando ex improvise hostiles copiae locum aliquem invadunt, ubi sane, quem fortuna suggererit locum, arripendum esse, humanae haudquaquam adversari videtur rationi, uti de Rustico quodam Idtionis Norimbergensis in bello tricennali Germaniae funestissimo tale quid accidisse perhibetur, quippe qui in abiete quadam procera sylvae sancto Laurentio dicatae, circa Noribergam sitae, sacculum so. Imperialibus refertum summo in cacumine impositum custodivit.

§. 4.

Inter singulares & maxime notabiles pecuniam repnendi modos duplices illi, partim a Decebalo Rege Daciae, partim a Divo Julio Duce Brunsvicensi celebratissimo, Patre Patriae sapientissimo observati, quin referri queant, nullus dubito. Prior enim nempe Decebalus Thesauros Regni Dacici in imo Sargetiae amnis vado recondens defodit. Corrivato enim fluvio, qui Regiam urbem Sarmizegethusam perstringebat, terraque altius defossa, thesauros in imam scrobem coniecit, saxaque superimposuit, ita compacta, ut ne humectari quidem possset, quicquid infra conderetur, mox amnem in pristinum alveum reduxit, captivos, quorum opera in eo usus fuerat, ad unum interfecit. Bicilis autem aequalis amicus Regis, & cui omnia sua consilia credere erat solitus, post illius interitum, Trajano aurum patefecit, cujus rei monumentum extare volens Trajanus, Inscriptionem fieri curavit, adhuc hodie in Transylvania in lapide quodam conservatam h. m.

JOVI INVENTORI DITI PATRI
TERRAE MATRI
DETECTIS DACIAE THESAURIS
CAESAR NERVA TRAJANUS
AUG. SAC. P.

Poste-

Posterioris autem, nempe Divi Julii sic se habet: Hic prudentissimus Dux, quo sciret, quantum *Thesaurum* exiguo temporis spatio summa in necessitate colligere posset, cum aliquando ipsi oblatus fuisset Nummus Portugalicus, vulgo Portugallischer dictus, sine longiori cogitandi modo subjunxit: Ad eundem modum conficiemus Nummum, qui non de Regionis nomine, sed de nostro in posterum dicitur: JULIUS LOESER. Existimavit autem (ceu quidem Oldenb. *Thesaur. Rerumpubl. Tom. 4. p. 117.* censuit) additamentum re LOESER significare gratitudinem, quum nihil tamen sit nisi terminatio. Nummus ejusmodi valet quinque vel decem Imperiales, & quinque Circulis seu Peripheriis fuit distinctus. *In una parte*, & quidem in circumferentia haec verba fuerunt inscripta: Neue Münz geprägt zu Heinrichstadt nach des Reichs Schrot und Korn genannt; *In altera*: Braunschweigisch Julius Loeser, an Werth 5, oder 10. Reichsthaler adscripto Symbolo: Aliis inserviendo consumor. *In tertia circumferentia* erant XII. Signa coelestia. *In quarta* VII. Planetae, *in medio* autem Insignia Ducis Brunsvicensis, quae a dextro & sinistro latere apprehendunt duo Viri Sylvestres, (zwey wilde Männer / wie auf den wilden Manns-Thalern) & quilibet tenet globum orbicularem in manibus. *Ab altera parte* inter primum & secundum circulum occurrit haec scriptura: Von Gottes Gnaden Julius Herzog zu Braunschweig und Lüneburg / Gottes Vorsehen muß geschehen. *Inter secundum & tertium*: D. H. Er behüte mir nicht mehr / dann Leib / Seel und Ehr. *Inter tertium & quartum* XII. signa caelestia. *Inter quartum & quintum* occurrunt VII. Planetae, *in medio* demum apparet effigies Principis ferreo thorace induti, gladium sinistra, & in dextris malleum (Streit-Hammer) tenens adscriptus A. 1776. Jussit autem sapientissimus hic Princeps, ut unusquisque subditorum ejusmodi Nummum

num alia data pecunia sibi compararet, secum domi custodiret, ac singulis hebdomatibus singulis locorum Praefectis monstraret, quo in casu necessitatis scire posset, (nam tempora ob Reformationem religiosam tunc erant periculosa) quantam pecuniae vim a subditis suis ad constituendos milites adipisci posset. Cujus Numismatis Figuram aeri incisam Lectori benevolo communicare heic placuit. Caeterum hujus ejusdem Numismatis historiam, paulo aliter prolatam videtis in Tenzelli Monatslichen Unterredungen de Anno 1692. Mens. Octobr. p. 794. & seqq.

SECTIO VI.

De Fine & Effectu pecuniae praesidiariae.

§. 1.

Finis pecuniae praesidiariae *primarius* est depulsio calamitatis quacunque ex causa subortae. *Secundarius* finis est ejusdem in lucri nonnunquam acquirendi consecutione, quando nempe propter praesentem & paratam statim pecuniam res minori pretio possunt comparari, quam si solutio in certos temporis articulos differatur.

§. 2.

Cum autem homines in hac mortalitate variis obnoxii sint vicissitudinibus, ad varios etiam fines talis pecunia solet adhiberi, nimirum si ab hoste quis captus fuerit, potest se certo soluto pretio interdum ex captivitate liberare, ut taceam alios quosque casus fortuitos, quibus avertendis pecunia maxime opus est. Hinc ejusmodi pecunia optimus dicitur necessitatis fidejussor. Neviz. in Sylv. Nupt. l. 2. n. 96. Joh. Mar. Novarr. in pr. Elect. & var. for. quest. 96.

§. 3. Prae-

Praeter hosce fines, quin plures adhuc alii dentur, nullum est dubium. Sane providam Patremfamilias in id praecipue animum suum intendere, ut liberi sui vitam bene & feliciter transigere queant, quotidiana docet experientia. Quapropter ut non tantum filiis in apprehensione artium & scientiarum, vel aliorum quorumvis vitae generum cultura opem ferre queat, sed etiam filiabus de dote mature prospicere sibi semper curae esse sinet.

§. 4.

De tali pecunia num Censur sit solvendus, quaestio alias solet agitari: & Bocerius quidem in *Tr. de Collect. c. 10. n. 1.* pro Regula ponendum esse, ait: quod Collecta si-ve Contributio pro omnibus rebus, tam immobilibus quam mobilibus, ex quibus nempe fructus aliquis percipitur, sit solvenda. Cum quo conspirant Struv. *Ex. 50. th. 90.* & C. J. *Argentoratens. Tit. de Cens. Rubr. de Collect. th. 28.* pluresque alii laudati a Magnif. Domino Harpprechto in *Resp. Crim. & Civ. Resp. 42. n. 51.* quod quidem de re, quae commercio simul destinata utilitatem aliquam afferre apta est, facile concesserim: Verum quod pecuniam stricte ita appellatam, quae praesidii causa reposita est, attinet, cum ex illa nulli fructus percipiuntur, nullus etiam census propterea exigi potest, atque in quum foret, ex re, quae nullum fructum habet, collectas velle extorquere, uti aequissime judicat Richterius *ex l. 4. §. 1. ff. de Cens. in Velit. Acad. Velit. 24. n. 139.* Idcirco saluberrime cautum est in *R. J. d. A. 1542. §. Doch sollen. 55. & R. J. de Anno 1544. §. Doch sollen. 2c. 43.* nullam collectam ex re-

D

bus

bus sine usu, quamdiu nempe custodiuntur, asservatis, repeti posse, quorsum sane pecuniam quoque praesidia-riam referendam, utpote rem nullam utilitatem proferentem, nemo non fatebitur: quo etiam respexisse mihi videtur Mynsinger, quando *Resp. 1. n. 50.* ita ait: Zu dem andern halte ichs darfür / daß N. N. beydes vermög der gemein beschriebenen Rechten und der Reichs-Abschiede von ihren gülden Ketten und Ringen / item der Baarschafft / so sie in den Kasten liegen haben / und andern ihren beweg- und unbeweglichen Gütern / davon sie kein Einkommen oder Nutzung haben / keine Reichs- keine Erbs- auch keine Land-Steuer zu geben oder zu erlegen schuldig. Vid. Harpprechtum longe lateque hac de re differentem in *d. Resp. 42. a. n. 54. usq. ad 61.* qui omnino conferri meretur.

Probe tamen insuper attendendum est, an pecunia talis ad luxum vel necessitatem sit reposita, quin etiam dignitas & conditio personae respicienda erit, num deposita cum pecunia conveniat nec ne: quod ipsum argumentum ventilans Lynker. *in Diss. de Catastris th. 31.* mentem suam verbis declaravit hisce: Omnino tamen distinctione opus est, utrum quis pro conditione aut qualitate personae suae necessaria tantum possideat, an praeter status dignitatem plus impendat quam debeat, vel Reipublicae salutare sit, ut adeo priora merito eximantur a Collectis, secus quoad posteriora, cum locus ex *R. J. de An. 1542. §. Doch* sullen. non loquatur absolute, sed cum distinctione, & discrimen faciat inter ea, quae ad luxum & pompam habentur, & quae quis pro conditione & statu suae personae possidet, ita ut de prioribus collectae sol-
ven-

vendae veniant. *¶* Alias enim sic fraus legi fieri posset, dum quisque sibi ejusmodi res comparaturus esset, ut in iis totum patrimonium constitutum habeat, ne de talibus tributum solvere teneatur.

§. 6.

In re quoque testamentaria pecunia praesidii causa reposita ansam praebere solet controversendi. Quaeritur enim, num si testator verbis hisce usus fuerit: Quae ibi mobilia mea erunt, do, lego, pecunia, in eoloco praesidii causa reposita, reperta, iisdem comprehendatur: Et affirmativam amplectendam esse, ipse Celsus in *d. l. 79.* videtur statuere verb. seqq. at eos, quos praesidii causa repositos habet, legato contineri. Quapropter non possum non Menochii decisionem *Conf. 407. n. 18. fere in fin.* approbare, & verba ipsius mea facere, inquentis: Si testator apposuit signum universale, & se restrinxit ad bona mobilia existentia in certo loco, sed in eo extabat pecunia reposita, non ut expendibilis, sed ut thesaurus, atque ita loco praesidii. Hoc sane casu in eo legato & ipsa pecunia ibi reperta intelligitur. Nam dicitur ipsa pecunia existere in ipso loco, cum expendibilis non sit.

§. 7.

Prono inde alveo fluere videtur: Ususfructum ejusmodi pecuniae legari non posse: Neque obstat, quod pecunia Civili ratione ad quasi ususfructum redigatur *§. 3. ff. de usufr.* ibi itaque si pecuniae ususfructus legatus sit &c. & Numismatum ususfructum non sine ratione asserat *Jctus Pomponius in l. 28. ff. de Usufruct.*, ut pro-

inde recte post Gothofredum *ibidem*, ubi animi voluptatem delectationem ac recreationem ad usumfructum referre non dubitat; Lauterbach. *in Coll. Theoret. Pract. Tit. de Usufructu. §. 23.* scribat: Non illae tantum res praebere usum dicuntur, quae naturaliter fructus ex ipso corpore proferunt, sed etiam quae civiliter ratione & occasione rei commodum praebent, sic ream quoque voluptuariarum & earum, quibus ad ornamentum utimur, puta veterum numismatum, statuarum & imaginum ususfructus constitui potest l. 28. l. 41. pr. ff. §. 2. f. de Usufr. Franz. *ad d. tit. pr. n. 20.* Nam isthaec vera sunt in illis nummis, qui in perpetuo motu quasi & commerciis permutationibusque destinati sunt, vel alia ratione commodatam aliquam praebere valent, non autem de Nummis nostrae tractationis, qui futuris necessitatibus reconducuntur, & in perpetua expectatione reservationeque parati manere debeant. Si autem ad usum alii cuiquam expendantur, deponens frustraretur suo fine, aliis enim tunc inservirent, non patrifamilias.

§. 8.

Denique an Locator aedium tacitam hypothecam habeat in pecuniam praesidiariam a Conductore illatam, quaeri quoque apud Jctos solet, & communiter affirmativa suscipitur defendenda, vid. Lauterb. *Tr. Synopt. Tit. de leg. seu tacit. hypoth. §. 12. n. 87.* ibi illam das Schatz-Geld / den Noth- und Ehren-Pfenning locatori tacite obligari docet Menoch. *de Adipisc. possess. Rem. 3. n. 134.* Merlin. *de pign. l. 2. qu. 67. n. 89.* Pacif. *Tr. de salu. Cond. c. 5. n. 119.* Marefcott. *2. var. Resolut. c. 118. n. 25.*

§. 9. Equi-

§. 9.

Equidem plura quin possint circa praesens argu-
 mentum afferri notatu digna, dubitare nolim, attamen
 haec & alia cum tempus longius requirant, librorum-
 que suppellectilem postulent amplissimam, quin judi-
 cium etiam ac ingenium acre exigant: abrumpendam
 his requisitis destitutus telam esse Disputationis hujus
 arbitror: Supremo Numini grates exsolvens humilli-
 mas pro auxilio suo in his aequae ac aliiis meis studiis
 Academicis paterno praestito, simulque rogans, ut re-
 liquo etiam vitae tempore gratia sua omnibus rebus
 meis quam clementissime adesse velit, Lectorem insu-
 per etiam atque etiam flagitans, ut hac ipsa opella con-
 tentus esse haud dedignetur, & non tam rigore
 quam favore singula prolata excipere
 velit.

S. D. G.



ANnos ante aliquot reputare *Pecunia quid sit?*
 Collibitum est, ea nunc sit *quotuplexque doces:*
 Hac ex doctrina TIBI semper suppetet *Aurum;*
Numo erit & triplici Cista referta Tua

Quo ipso Tetrasticho
 STASSITO suo & AFFINI dilectissimo,
sincera juxta seriumque votum
de feliciter & laudabiliter emenso
Juris Vtriusque curriculo,
ex animo gratulatur

DAN. GVIL. MOLLERVS.

Fortuna pressis collectum consulit *aurum,*
multum presidii Nummus honoris habet,

Tertius

*Tertius est Nummus, Gnatis qui inseruit
alendis,*

*Proculus audiuit, comprobat ipse DEVS,
Præsidi causa studiis spes pulchra reponet
multiplices fructus, Vita Parentis opes,
Larga Magistratus tribuet Clementia di-
gnum
munus & officium, Terque beatus eris.*

Hisce

Nobilissimum Juriumque peritissi-
mum DN. DOCTORANDUM,
Amicum absentem sibi sociat

CAROLVS MAVRICIVS Hoffmann/
Jurium Licent.

Grandem Vir Juvenis scandis generose Cathedram
Scribit amica manus, prospera quæque TIBI.

Hisce Pranobilissimo DN. CANDIDATO NVRM-
BERGER, Amico suo Academico certissimo,
amica applaudebat manu,

JOHANNES DANIEL HALDER, Ulmensis, Not. Cæs.
Publ. & Lib. Imp. Reipubl. Patriæ Judiciorum Superio-
ris & Matrimonialis Procurator ordinarius,

Es


DS pflegt Justinian mit Ehren zu be-
 gaben/
 Galenus aber ist mit seinem Geld be-
 reit.

Ich wünsche Dir/ mein Freund! daß Du
 stets mögest haben/
 das was Justinian und Galen hat er-
 freut.

Mit diesen wenigen Zeilen/wolte seine Schul-
 digkeit glückwünschend bezeugen / des
 Herrn LICENTIATI ergebenster Die-
 ner und aufrichtiger Freund

Christian Philipp Fleming/
 LL. Stud.





Altdorf, Diss., 1710-11

X 234 4169


VD 18

ULB Halle

007 536 011

3





Q. D. B. V. *34. 4. num. 30.*
DISPUTATIO JURIDICA *10*
INAUGURALIS
DE *1710 70*
PECVNIA
PRAESIDII CAUSA REPOSITA,
vulgò
Woth-Isfenning/
Qvam
PRAESIDE
DEO TER OPT. MAX.
DECRETO ET AVTORITATE
MAGNIFICI
RECTORVM ORDINIS,
IN
ILLVSTRI VNIVERSITATE ALTDORFFINA,
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE JVRE
HONORES AC PRIVILEGIA
RITE ET LEGITIME CAPESSENDI,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT
Ad diem Decembr. An. MDCCX.
GEORG. WOLFFG. NVRMBERGERVS,
Norib.



LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

500 2 / 240

